



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sponsalibus. Consilium DXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

quicquam loqui sciat; præter solum primum, qui de nulla alia solutione aut observatione stipulæ per Impetrantem aut ejus prædecessores facta loquitur, quàm de illa coacta in persona Wilhelmi Bevere, in quâ ponitur actus turbativus & causa hujus litis, & ex qua actum possessorium constituere non licet. Et quamvis testes Opponentis dicant neminem esse liberum aut exemptum à stipulâ: id tamen ita accipiendum est, sicut sonat privilegium, & concessio stipulæ, de iis, qui res proprias vel alienas ad nundinas aut mercatum vehunt seu vendere constituunt; non de rebus proprijs ad usum proprium devectis; neque etiam de iis, qui adversus jus stipulæ privilegium habent.

De turbatione nihil hærendum est; cùm Opponentibus constet Wilhelmo Bevere à prædicto Wilhelmo M. pro jure stipulæ exegisse & accepisse quatuor florenos & sedecim ituferos, aliter quæ noluisse dimittere vina. Ita ut Wilhelmum non ultroneè, sed metu deteriorationis vini, ac sub protestatione ad solvendum cogendo, verè turbaverit præfatus Wilhelmus Bevere; & per consequens Opponentibus ejus factum ratum habentes, ac pro eo intervenientes. Ita ut optimo jure fundata sit D. Impetrantis de turbatâ hac possessione querela proposita, impetratis defuper licetis complandus anno nondum elapso: ideoque etiam cùm in tantâ luce justitiæ & æquitatis versetur causâ Impetrantis, Clarissimorum Dominorum sit, secundum possessionem Domini Impetrantis in hac causâ judicare; præfatum Dominum Impetrantem in suâ possessione manuteneudo, cassatâ Opponentium turbatione, ipsedemque Opponentibus in expensis totius litis condemnatis.

De Sponsalibus.

S V M M A R I V M.

Sponsalia de futuro.

1. Sponsalia in futurum quæ sunt.
2. Nemo præsumitur subdolo seipsum corrigere.
3. Sponsalia tantum induci fides data de ducendâ uxore.
4. Claudefina promissio quæ sit.
5. Claudefina sponsalia odiosa.
6. Sponsalia dissolvuntur per aliud matrimonium.
7. Sponsalia qui contraxit an præcise cogi possit ad matrimonium solemnizandum.

CONSILIVM DXXIII.

IACOBVS A. & Maria O. scripturâ privâtâ, ac propriâ manus subscriptione inter se convenerunt, ac reciprocè promiserunt, his verbis: *Ick Jacob A. hebbe beloest te trouwen, naer de constitutie vander Heyligher Kercken / de voorschreven Mayken O. tot een ghehechte huysvrouw: ende hebbe de selve daer op gegheven mijn kerstelijcke trouwe: Ende ick Mayken O. hebbe van ghelijcke beloest te trouwen den voorschreven Jacob tot eenenghehechten man: ende hebben den selven van ghelijcken daer op gegheven mijn kerstelijcke trouwe: Hoc est, Ego Iacobus A. promisi ducere in legitimam uxorem, secundum constitutionem S. Ecclesiæ, præmentionatam Mariam O. & defuper ipsi dedi meam Christianam fidem: Ego Maria O. similiter promisi accipere dictum Iacobum in legitimum maritum, ac eadem defuper dedi reciprocè meam Christianam fidem. Queritur, sponsalia, an*

nuptiæ his verbis contracta sint, sepelito Concilio Tridentini decreto? * Nam quamvis in prioribus verbis, *hebbe beloest te trouwen* / hoc est, *promisi ducere uxorem*, sponsalia tantum latere videantur, quia in futurum tempus concepta sint, c. *Veneris, c. Commissum, c. De illis De sponsal. & matrim.* sequentia tamen, *ende hebbe daer op gegheven mijn kerstelijcke trouwe*; hoc est, *vedi desuper meam Christianam fidem*, in præsens, imò magis in præteritum tempus sonant, ideoque videntur inferre purum, absolutum, & simplex matrimonium; præsertim quòd hæc verba, *kerstelijcke trouwe* / hoc est, *Christiana fides*, secundum communem eorum intelligentiam (quam sequi oportet c. *Ex literis x. in fine De sponsal. l. Lævo ver.* non enim ex opinionibus desupplet leg.) his temporibus ac moribus utentium, ad matrimonium referantur, & matrimonium importent; & verba antecedentia, quæ futurum tempus significare videntur, non ad contractum matrimonii, sed ad ejus solemnizationem in facie Ecclesiæ referantur.

Verum toto tenore propositæ scripturæ inspecto, & verbis illius præfatus expensis, verius nobis videtur, sponsalia tantum inter prædictos esse contracta; propter verba in futurum tempus concepta, quæ primum ac principalem locum obtinent, totiusque negotii, & rei, quæ tunc agebatur, clavum tenent. * Ita ut non sit verisimile, dictos contrahentes in uno eodemque temporis momento, & in eadem orationis periodo, voluisse vel utrumque facere, vel incontinenti ab altero recedere, & se corrigere, *August. Beronius quest. 6.* Subita namque correctio nunquam præsumitur, l. *Non ad ea De cond. & demonst. l. Stichus in Paululus de manumiss. testam.* præsertim cùm verborum impropriatio nulla inducitur, prout in proposito accidit. Nam quamvis illa verba, *Ick gheb u mijn kerstelijcke trouwe* / hoc est, *do tibi meam Christianam fidem*, per se ac seorsim considerata, ex communi usu, & communi verborum intelligentiâ, hodie inter Germanicâ linguâ utentes importent matrimonium de præsentî; adjecta tamen verbis præcedentibus, hujusmodi potestatem non retinent; sed promissionis de futuro vim intendunt, & augent: quasi per fidem Christianam invicem promiserint, vel fidem dederint de contrahendo matrimonio. Ita ut ad summum pro juramento promissioni de futuro adjuncto & applicato accipi possint, ex eorum sententiâ, qui promissionem per fidem Christianam pro juramento accipiunt, *Canon. in c. Ad aures de iis quæ vi nuptiarum casj. Alciat. ad Rub. de iur. iur. nu. 7.*

Similisque propè est ista loquendi forma, quâ Canones passim utuntur de fide datâ, aut præstitâ de ducendâ, aut accipiendâ uxore, aut de matrimonio contrahendo; quâ non nisi nuda sponsalia significantur, & minime matrimonium, d. c. *Veneris, d. c. Commissum, c. Præterea De spons. & matrim.* Quod apertius deprehenditur ex fine dictæ conventionalis scripturæ, in quâ velut per paulò generaliore clausulam, & quæ ad omnia antecedentia, omnesque conventionis articulos refertur, uterque promittit per fidem Christianam omnia præcedentia adimplere: ita ut manifestum sit, similem clausulam antecedentem de fide Christianâ datâ

data super eo (scilicet de contrahendo matrimonio) ad sponsaliorum de futuro confirmationem, arctiusque vinculum tantum pertinere. Et omnium maxime obscuritatem, si quæ amplius in his verbis latet, discutit conditio huic contractui, post prædictorum verborum prolationem, adjecta; quod ante omnem promissionem conventum sit, quod Iacobus, antequam Maria cum eo matrimonium contraheret, curaret se liberari à fideiussione, quæ pro matre sua tenebatur: quasi promissio de contrahendo in futurum sub eâ conditione sit facta, & ab ea suspensa; quod iure permissum est, *c. de illis. De condit. appof.*

Et sane in hac re ambiguitas ac obscuritas verborum, interpretatione adversus Iacobum discutienda est, & sic facienda interpretatio, ut Maria adolescentula in captionem facile non veniat;

4 * ex eo, quod promissio qualiscumque fuerit, clandestina censi debeat, semotis arbitris, testibusque nullis adhibitis facta, *cap. Quod nobis de clandest. desponsat.* * Sponsalia autem clandestina canonibus, *c. Cum inhibito de clandest. despons.* imò & legibus odio sunt, *l. fin. de ritu nupt. l. Nuper C. De natur. lib. nullumque favorem, aut benigniorem interpretationem merentur, Augusti. Verous quæst. 107. potissimum quia in ea a tate sit Maria, quæ sine curatorum suorum consensu, ac consilio liberè nubere, aut matrimonium contrahere non possit; propter constitutionem Caroli Quinti Imp. punientis nuptias adolescentum viginti quinque annis minorum. Cum itaque hæc verba neque pura, neque præsentia sint, non matrimonium, sed sponsalia de futuro tantum constituunt; sic ut, si Maria post illa de facto contraxisset, aut contraheret matrimonium cum alio per verba de præsentia, omniumque maxime si novas nuptias carnali copula consummasset, Iacobus nihil juris ad-*

6 versus Mariam posset prætere. * Sponsalia enim dissolvuntur per matrimonium alterius sponsorum cum alio contractum, *c. Sicut, c. Inter, c. de illis de sponsal.* idque etiam sponsalia præcedentia jurata fuerint, *c. Requirunt, c. d. c. Sicut cod. tit.* Cum enim sponsalia sua naturâ sint dissolubilia, & matrimonium indissolubile, vis iuramenti antecedentis nihil agit adversus indissolubilitatem matrimonii subsequenter; sive id publicè, palam ac solemniter, præcedentibus bannis, & proclamationibus, *d. c. Cum inhibito, sive clandestinè & sine solemnitate juris contractum sit; si modò fide digni testes adhibiti sint: clandestina enim matrimonia in substantia & rei veritate secundum jus vetus à solemnibus non distant, c. 2. de clandest. desponsat. Decius conf. 163. In causa matrim. n. 1. vol. 1. Et profectò tam potens est hic dissolvendorum sponsaliorum quamvis juratorum modus, ut ad eorum dissolutionem Iudicis auctoritas non sit necessaria, *vid. Covarr. in epist. 4. decretal. 1. part. cap. 5. n. 9.**

7 Deinde licet propter sponsalia quis cogi possit ad contrahendum matrimonium, *c. Ex literis Sylvani de sponsal.* & infamia incuratur, si quis instantibus sponsalibus cum una cum alia nuptias contrahat, *l. 1. §. fin. l. Quid ergo §. 1. De his qui notan. infamia, l. Ea que C. De donat. ante nupt. præcisè tamen quis cogi non potest, si omnino nolit, d. c. Requirunt. Indecq; est, quod postea contractum matrimonium teneat, non obstantibus sponsalibus etiam juratis, *d. c. De illis d. c. Ex literis Sylvani, d. c. Com-**

missam, c. pen. de sponsal. multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *l. Patre furioso de his qui sui vel alieni iur.* Quamvis negari nequeat, quin Maria id faciendo peccet; eoq; nomine ei propter accedens præferrim juramentum penitentia imponi possit per Episcopum, si non dissolutis prius sponsalibus, & sine auctoritate Iudicis convolet ad matrimonium cum alio. Sic ut in occurrente simili casu, & ad evitandum prædictam infamiam, consultum sit prius renuntiare sponsalibus; hoc est coram Notario & testibus denuntiare sponso quod Maria nolit cum ipso nuptias contrahere; sola enim renuntiatione dissolvi possunt sponsalia, *l. 2. De divort. & repud.* potissimum ubi renuntiandi iusta & honesta causa subest, ut est in proposito, propter prædictam Caroli V. constitutionem: quæ etsi non annullat matrimonium per minorem sine parentum, Curatorum, vel propinquorum consensu, aut consilio contractum, satis tamen improbat & punit contra facientes; privando eos spe ejusdemq; lucti ex eo matrimonio. Ita ut hæc adolescentula non certiorata prius de huiusmodi constitutionis severitate, imprudenter ad sponsalia prosilierit, ac nunc certiorata prudenter, minimeque inhonestè ab illis recedat.

De Sponsalibus.

S V M M A R I V M.

Sponsalia de futuro.

1. Matrimonium, an sponsalia contrahantur per hæc verba, ego te ducam, & non aliam.
2. Munera a sponso data non inducunt matrimonium.
3. Sponsalia clandestina quæ sint.
4. Constitutio annullans matrimonium an etiam sponsalia annullat.
5. Sponsalia qui contrahit an præcisè cogi possit ad ducendum.
6. Matrimonium per verba de præsentia contractum sub conditione, si parentibus placebit, non tenet.

CONSILIVM DXXIV.

A A primam quæstionem, an his verbis, *Ich beohe bat ich u trouwen sal / ende anders geet ic nemen en sal tot geenen daegen dan u;* hoc est, *promitto quod te ducam uxorem, & quod aliam non accipiam ullo tempore nisi te;* sponsalia an matrimonium sit contractum? Paucis respondemus nuda sponsalia tantum contracta esse. * Nulla enim dubitatio est, quin his verbis, *promitto quod te ducam uxorem.* inducatur tantum sponsalia, quia absolute futurum tæpus significant, *c. De illis de sponsal.* Et quavis controversum sit, an per hæc verba, *Non habeo, vel ducam aliam uxorem præter te;* matrimonium, an sponsalia tantum contracta sint; quibusdam, *Joan. Andra. Cardin. Ranor. & Trepos. in c. Ex parte de spons. Summa Sylvest. in V. matrim. 2. q. 10. matrimonium inde constitui;* aliis, *Calder. Ant. de Burr. in d. c. Ex parte. Cepolla conf. civil. 1. Alex. conf. 152. Viso processu n. 4. v. 5. Aleat. in l. Altrione C. de transact. sola sponsalia in illis constituentibus;* aliis, *Adriano Sexto in 4. sent. q. 13. De matrim. nec sponsalia illis contrahi existimantibus;* verior tamen, & communior est omnium ferè sententia, quod ex conjunctione omnium horum verborum, *Promitto te ducere uxorem, & quod aliam non accipiam nisi te,* non inducantur nisi sponsalia; quia in prima parte, ut dictum est, mera sponsalia continentur, à quibus per subiecta verba in vestigio sic loquens non cessat recedere; & sic subiecta verba ex præcedentibus intelligi, atque accipi debent, ut contineant eandem temporis rationem & eundem promissionis modum; hoc est in

S f

futurum,